

volumine in quarto, centum duntaxat quaternionibus, hoc est, duodecimâ molis parte constricta, & vicesima pretii parte vendibilia reddita linguæ arabicæ studiosis repræsentare & communicare. Cum non videndum putem, quid fieri possit ambitionis causa, sed quid debeat utilitatis proposito: & quod plinius in præfatione ait, utilitatem juvandi præferendam gratiæ placendi censeam. Arabica autem propterea hic omittuntur, quoad voces derivativas, & phrasès singulares, quarum explicationes duntaxat hic dantur, ut sic tantò commodius possimus lexica ipsorummet arabum & orientalium reliquorum edere. Quemadmodum enim præterito felicissimo pro lingua græcâ sæculo fecere aldus, manutius, stephani, & plures alii, ut nobis primò dederint autores græcos in omni scibili, & lexicographos omnifariam, idque omne absque versione: ita & nobis faciendum censeo. Quod si enim non iisdem vestigiis insistemus, quibus illi præcessere, orientales hæ linguæ benè tardè promovebuntur. Hoc itaque lexicon quoad latina ita præmissum, erit omnium quotcunque lexicographorum arabum etiam centenorum, maximâ ex parte quædam versio. Cum enim nullo modo per linguæ latinæ paupertatem fieri queat, ut græca saltem lexica, pollucis vid. onomasticon & alia, justè in hanc vertantur (quanquam hoc factum sit, sed millenis erroribus in versione commissis) ita tantò minus in lingua arabica hoc fieri posse, apertissimum est. Scio autem, & prævideo, camusii, gieuhari, huneini, & quotcunque aliorum, in linguam latinam vertendi istam libidinem non modò à quibusdam posthâc desideratum iri, sed & promissum: captabuntque ingentes honores, laudem, & docti viri decorem; cum nihil æquè his studiis damnosum futurum sit. Quod si enim præterito sæculo primi græciæ assertores, autores quoscunque non dedissent absque versione, quæ editiones adhuc hodie sunt in summo honore, & rarissimè apparent, carissimeque venduntur, quam linguam græcam vel hodie essemus habituri. Sumamus itaque nobis ab illorum moribus exemplum, id quod ex usu fiet pro oriente. Præcavere itaque volo versionibus in genere omnibus tam lexicorum, quàm autorum. Quos ipsos scio, si saltem nos extricaverimus primis hujus linguæ initiis & difficultatibus, intra aliquot